


190

231  
2




III. Hist.  
C. 5.

Quarto. N. 517.

Gelehrter  
Herr Dr. Volkstodung  
Gabeltner  
Buchhändler

~~III <sup>140</sup> J. IV 1~~

J. VI, III 879.



1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
8.  
10.  
12.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.



Hoc in Volumine continentur

1. De officio Venatoris imperii principatus Rugie annexo.
2. Jus publicum et feudale veteris Norvegiae ex antiquo jure aulico Gindstama.
3. Praescriptio Danorum
4. Leges Danicae de successione ab intestato. Particula I.
5. ejusdem materiae particula II.
6. 7. de usufructu patris in fidei filiorum familia, cum programma
8. 9. Simultanea juris Germanici inceptura, cum programma.
10. 11. de jure principis circa Baptismum .. p. 120. cum programma
12. 13. de jure Peregrinorum singulari circa Throcum, non prof. Imp. cum programma
14. Anle von den Hofingen, unterm Jahr von Am Lieben 1742.
15. De crimine Barathariae
16. De coadjutoribus ordinum equestrum ecclesiasticorum
17. De imperio Vicario in terris Faxonior
18. Jura ordinis equestris in pomerania ruellica et rugia
19. De jure monetandi
20. De fructu nunquam et nulli tributaria.
21. Theses juridicae miroclancae
22. De eo quod jure belli licet in minores
23. De jure Legationum Lib. Keisf. Helveticae
24. De poenis jure naturali licitis vel prohibitis
25. De privilegijs s. h. d. lib. Keisf. Moeno-Francofurtensis cum programma
26. De eo quod justum est circa captivorum redemptionem.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

V  
—  
A  
—  
S



h-i 8

PROGRAMMA,

QVO

MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM ACADEMIÆ,  
GENEROSISSIMUM REGII DICASTERII DIRECTOREM. UTRIUS-  
QUE HUIUS COLLEGII: UT ET AMPLIS. SENATUS HUIUS URBIS PROCERES,  
PLURIMUMQUE REVERENDOS MINISTERII ECCLESIASTICI ANTISTITES,  
OMNESQUE LITERIS ET LITERARUM HONORIBUS FAVENTES HOSPITES,  
NEC NON ILLUSTRISSIMAM. GENEROSAM, NOBILISSIMAMQUE  
STUDIOSAM JUVENTUTEM,

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

VIRI PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, DOCTISSIMIQUE  
DOMINI

ERNESTI AUGUSTI RUDLOFF,

MAGDEBURGENSIS,

SYNDICI ET CONSILIARII DNN. STATUUM PROVINCIA-  
LIUM DUCATUS MECKLENBURGICI,

DE

*Indole genuina simultaneæ J. Germ. investi-  
turæ, cum Longobardica collatæ,*

D. XXVIII. APRILIS ANNI MDCCXLI

H. L. Q. C.

VENTILANDAM,

SUO CONFLUXU AC PRÆSENTIÆ HONORE  
ORNANDAM,

DEBITA REVERENTIA, CULTU ET AFFECTU INVITAT,

SIMULQUE

IN RECENSENDIS

VITIS JCTORUM GRYPHISWALDENSIUM

PERGIT

AUGUSTINUS BALTHASAR,

J. U. D. ET PROFESSOR ORDINARIUS FACULT. JURID. h. t. DECANUS,  
REGIÆQUE SOCIETATIS TEUTONICÆ DIRECTOR.

GRYPHISWALDÆ,

LITERIS JOH. HIERONYMI STRUCKII.





V I R O  
PRAENOBILISSIMO, CLARISSIMO ATQVE  
DOCTISSIMO,  
D O M I N O  
ERNESTO AVGVSTO  
RVDLOFF,  
CONSULENTI PROVINCIALI IN DVCATV  
MECKLENBVRGICO,  
S. P. D.  
MARTINVS GVSTAVVS FISCHER,  
IVR. LICENT.

**Q**uod doctrinae moralis Doctores tantum non omnes verae amicitiae indicium & symbolum probatissimum venditant: Idem velle, idemque nolle; id parum abest, quin fallax admodum, incertum & spurium arguam, ampla certe expositione circumscribendum esse existimo. Amicorum quidem genera esse non inficior, quae tam arctam animorum coniunctionem & conformem sententiarum aequalitatem inducunt, ut, si hanc tollas, amicitiam ipsam propemodum subruere aut vacillare necesse sit; at eandem unquam, semper & ubique in omni, intima licet atque familiarissima, requiri, pernego. Dicitur mihi videlicet

cet amicitia contrahi inter personas honesti amantes,  
suis invicem commodis inserviendi, ea amplificandi, se-  
que ex alterius consuetudine recreandi causa. Quae  
cum cadere possint in homines etate impares, moribus  
dissimiles, religione animique cultu diversos, & opinio-  
num varietate dissidentes: Philosophorum supra cita-  
tam regulam & criterium concidere oportet. Immo  
fallere etiam sepiissime, tum luculento suo exemplo docet  
T. Pomponius Atticus, quem C. Nepos in Vita ejus  
c. 5. avunculum Q. Cecilium habuisse adeo difficillima  
natura, ut nemo eum ferre posset, eiusdem tamen be-  
nevolentiam sine illius offensione ad summam senectute-  
m retinuisse, scribit; tum experientia comprobat quo-  
tidie. Ipsum me veritatis testem, si fas est, produ-  
co, atque prima amicitiae Tecum, VIR CONSVL-  
TISSIME, inita stamina dissensionis nexisse, non si-  
ne summa animi voluptate identidem recordor, & glo-  
rior. Wittebergam scilicet, fama illustris a LEYSER  
perciti, IV Hala, ego Roslochio, ante decennium  
circiter faustis avibus advolaveramus, ex cuius ore  
tunc unice pendentibus gravissimas in quoquo iure acci-  
piebamus doctrinas, in longos usus reponendas, mi-  
nus felices tamen futuri, ni Vir incomparabilis pro  
ea, qua in studiosam iuventutem fertur, incredibili  
propensione, commodis eius maxime accommodatum in-  
simul consilium cepisset, per singulas hebdomadas alte-  
ra hora profectus cuiusque auditorum perscrutandi,  
& an recte tradita perceperint, a quoquam curate  
querendi; altera institutis disputationibus nos stre-  
nue exercendi, dubia proposita discutiendi, denique ra-  
tionem, qua in conspectu publico agendum esset, com-  
monstrandi. Istis iucundis dissensionibus, VIR AM-  
PLISSI-

PLISSIME, quibus sæpiusculè tunc collidebamur, jam debeo conciliationem amoris & favoris, quo debinc ad hoc usque tempus me impense complexus es; iisdem etiam stabilitatem & firmitatem suavisimæ TVAE amicitiae tribuo. Quotiescunque enim conveniendi occasio data est, suavis TVIS colloquiis, amicisque obiectionibus & contradictis, tam mirifice delectatus sum, ut nunquam nisi doctiori mihi inde discedere licuerit, & ad certamen subinde redire gestiverim. Friget nimirum mox omnis congressus, & vel piscium instar obmutescere, vel nugis & criminosis aliorum insectationibus tempus tere-re oportet, ubi hanc liberalem dissidendi libertatem ademeris. Sed quod raro per fatorum sinisteritatem coram facere concessum fuit, assiduo litterarum commercio, quo frequentius cum quoquam me habuisse non memini, compensavimus, quantumvis in me solum maxima illinc redundarit utilitas, & enormis officiorum inequalitas extiterit. Non me quidem hic excurrere & ample recensere pigeret, quam egregiam in me semper ornando operam collocaveris, AMICE AESTIVMATISSIME, quam enixa optimae mentis significatione TIBI me devinxeris, quantopere TIBI debeam, quam in honorificentissimam Summorum Virorum, TE procurante, notitiam venerim; at pudorem TVVM onerare, & molestus esse, nolo. Idem me, ne in laudes TVAS, multis vigiliis, solida eruditione & litteratura elegante, Jurium cognitione haud vulgari, morumque concinnitate eximia partas, longe exspatier, cohibet invitum. Prostant sane omni exceptione majores testes, subactique iudicii locupletissimi indices libri, oleum abunde redolentes; quamvis superbire illis nolueris, certissimo argumento, TE vir-

tuti

tuti & reipublica studere, quam gloriam aucupari  
malle. Summam laudum TVARVM dixerit, qui Ju-  
ris Publici intelligentiam exactam TE habere dixit.  
Quod quidem Jus, quam late se distendat, nullamque  
eruditionis, quaqua patet, partem perfunctorie tracta-  
ri finit, eius non plane ignarus facile iudicabit. Con-  
secutus jam es honores meritis TVIS dignos, nunc no-  
vos demuo eosque in Jure Summos capessis, dudum in-  
dustrie debitos. Faxit Summum Numen bene, pro-  
spere, feliciter TIBI cedant! Idemque quaevis negotia  
ex voto succedere, & Reipublicae, cui natus es, diu  
TE incolumem superesse jubeat! Vale, Amicorum O-  
ptime, & fave. Dabam Stralesundii VIII. No-  
var. Martii, A. MDCCXXXI.





ingularis & Academiæ nostræ, & mihi inprimis contigit honos, quando Vir Consultissimus, Dn. ERNESTUS RUDLOFF, Magdeburgensis, Dominorum Statuum Provincialium Ducatus Mecklenburgici Consiliarius ac Syndicus celeberrimus, mihi, ut h. t. Decano, tanquam Candidatus & doctorandus nomen suum professus est, qui, ut ipsi supremi in jure honore conferantur, diu promeruit. Disseratio, quam mihi obtulit, tam elegans continet argumentum, tamque erudite doctæque est conscripta, ut merito de simili argumento, quod pro more Programmati ad actum Promotionis invitatorio inseri solet, sollicitus esse debeam. Varia quoque se se mihi obtulerunt, priori non dissimilia. At enim vero, cum promissi mei memor, me adstrictum sententiam, vestigiis, quæ hæcenus in recensendis *Vitis 3torum Gryphiswaldensium* legi, inhærere, fidem publice datam fallere nolui, missisque itaque reliquis, via, quam semel ambulare incepti pergam. Sequitur itaque inter publicos Academiæ nostræ Professores ordine

XIX. LAURENTIUS BOCKHOLT,  
*Gryphiswaldensis.*

Cujus Majores forsan a Civitate hujus nominis, in Westphalia sita, prout tunc mos erat, nomen assumere, quod



sequentibus temporibus idiomate linguæ Saxon. superioris transformatum in *Buechholz*. Nostrium LAURENTIUM jam a. 1457. corpori academico associatum fuisse, exinde colligere licet, quoniam jam in Catalogo istarum Præbendarum majorum, inter Canonicos tunc distributarum, num. 13. occurrit, v. *Annal. Acad. L. I p. 10.* & ab iis præbendis, quas paulo post RUBENOVIVS fundavit, itidem certam accepit partem, v. supra sub *Vita RUBENOVII b. a.* Ao. 1465 cum Rectore t. t. GORVINO RONNEGARVEN ipsi intercedebant lites, ob quas hic iter suscipiebat ad aulam Papæ. v. supra sub *vita RONNEGARVII.* Ao. 1484. BUCKOVIVS, qui tum sicarum L. L. Baccalaureus, Decretorum Doctor & Juridicæ Fac. Decanus nec non Eccles. Gryp. Collegiæ Præpositus, & Universitatis Subconservator dicitur, prima; v. *Ann. L. II p. 57.* & a. 1488. altera vice in Rectorem est electus. v. *Annal. cl. p. 64. fac. 2.* ubi etiam Universitatis Sub Conservator s. perpetuus Pro cancellarius audit. Diem tandem clausit supremum hic Gryphiswaldiæ a. 1501. sub Rectoratu Pet. Ravennatis, peste extinctus. v. *Ann. L. II. p. 99. (\*)*

## XX. ERASMUS SMARSOWE, *Gryphiswaldensis.*

Hujus parens incola fuit civitatis Gryphicæ, & dubio procul patriæ gente ortus, quam a prædio, in Synodo Lutzeni sito, *Smarsow*, nomen traxisse, a veritate non adeo videtur alienum. Postquam in Academia patria prima studii juris fundamenta posuerat, ad Academiam Bononiensem, inclytum tunc temporis eruditionis, inprimis quæ Jurisprudentiam spectat, empo-

(\*) Equidem GERSCHOVIUS in *Catalogo Patronor. Fundator. & Professorum Acad. n. 16* hunc LAURENTIUM BOCKHOLT confundit cum eo, qui Duci BOGISLAVO in itinere Hierosolimitano comes ejusque Cappellanus (*Espehlen-herr*) exitit, & in ipso itinere Famagustæ morbo correptus occubuit. Cujus mentionem facit CRAMERUS in *Chron. Pom. L. II c. 49 p. m. 133. in fin.* Sed, hunc diversum fuisse a nostro, *Annales Acad. fidem nobis faciunt indubitatam.*

❧ ○ ❧

emporium; ibique exhibitis speciminibus, pro more istius seculi & Academiae receptis, in utriusque juris Baccalaureum ibidem promotus; Tandem in patriam redux factus, an. 1477. Da. Jo. PERLEBERGIO, LL. & Jo. BRÜGGEN, Decretorum Doctoribus, Facultatem juridicam tum regentibus, dignus iudicatus fuit, qui in Professore juris & Collegam Facultatis ejusdem assumeretur. Testantibus ita *Annalibus Academ. ad b. an. L. I. p. 53.* Rectoratus munus nunquam gessit, nec etiam praeter ea, quae modo adducta, quidquam de eo notatum unquam deprehendi.

XXI. JOH. PETRÆUS, S. PETRI.  
*de Dacia s. Hassniensis Danus.*

Hic primum albo Studiosorum inscriptus invenitur sub Re-  
ctoratu THEODORICI STEPHANI a. 1465.; & sequ. a. 1467.  
a LUDOVICO GROSVINO, Theol. D. creatus in Magistrum  
artium; a. 1477. in eadem Facultate ut Brabeva promotionem  
instituit. v. GERSCHOVII *Catalog. Promotionum & Candidator. ad b. an.*  
*23 & Catal. Professorum n. 154.* & utriusque juris Baccalaureus factus;  
v. *Ann. L. I. p. 53.* in Academiae Rectorem a. 1481. ipso die invent.  
St. Crucis, post Pascha, electus. v. *Annal. Acad. L. I & II. ad b. a.*  
In hoc suo Rectoratu multas persecutiones sustinuit. Quia  
inserirat magna differentia in Univeritate, propter Regimen  
Doctoris Medicinae HENRICI ter PORTEN(\*\*) in Facultate ar-  
tium

a 3

(\*\*) Hic HENR. ter PORTEN, de Gröningen, Med. Doctor, alumnus M.  
ARNOLDI ao. 1478. sub Rectoratu WALTERI HOWENERI, &  
quidem ad petitionem Universtitatis, gratis fuit intitulatus; mox anno  
1479 Rector factus est. v. *Ann. L. II. p. 46.* Sequenti ao 1480. sub Re-  
ctoratu Magistri JOHANN MEYLOFFII, perebat ab Univeritate  
praesidentiam in Facultate artium cum certis Magistris sibi con-  
venientibus. Nempe vellet facere factum in Facultate & introducere  
novum modum, proficuum Scholaribus istius Facultatis in mor-  
ibus & doctrina, quod ita factum est v. *Ann. L. I. p. 58.* Conclusum  
enim fuit, ut depositio modi doctrinandi, legendi & disputandi a primo  
Universtitatis habitū & tenti, secundum Statuta Facultatis artium fieret

tium, ad quod assumtus erat. Domini de Universitate fuerunt valde divisi, Collegia & Magistri inibi existentes fuerunt valde divisi. Unde & sequ. an. 1482, cum noster Petrus in Decanum Fac. artium a majori Collegio eligeretur, Magistri minoris Collegii alium, scil. JOH. SARTORIS, sibi creant, cui liti

& assumtio modi doctrinandi prout habetur & tenetur Parisiis, Lovonii, Colonia & nova Univers. Hassiensis. v. *Ann. L. II p. 47. f. 2*. Unde sq. a. 1481. sub Rectoratu Petrai; notabilis ista suborta fuit differentia inter Consulatam & quosdam de Universitate, & inter Magistros de Facultate artium. Ita quidem facta fuit divisio Collegiorum per Universitatem & Consulatam; & hoc procurante D. Ter PORTEN, cui per universitatem fuit assignatum Collegium minus; sed ipsius propria auctoritate & temeritate usurpavit ipsum regimen totius Facultatis artium. vid. *Ann. L. II p. 49. f. 2*. Propter quod duo Collegiati de Collegio declinarunt, & regimen totum Collegii cum certis Magistris dicto Doctori Medicinae fuit commissum, v. *Ann. L. I. p. 58*. Donec, eodem adhuc Rectoratu Petrai, hic Doctor Medicinae cum Magistris certis minoris Collegii clam & occulte, cum magna confusione & scandalo, & hospite non salutato, ab oppido Grypswold recessit, dimissis omnibus suis adherentibus. v. *Ann. L. II p. 49. f. 2 in fin.* Inter quos quoque fuisse JO. BRUGGE, supra sub vita ejus audivimus; & Magistri majoris Collegii regimen triumphum obtinuerunt. cooperante adminiculo vid. *Ann. Lib. I. pag. 60*. Hic Ter PORTEN tandem a. 1481. sub Rectoratu ARN. ZEGERBERG. desperatus factus petiit Cappam a Gardiano Conventus Minorum in isto oppido, Jila cappa parata, clam de isto oppido recessit, spreta eadem cappa, & transtulit se in Wismariam, ubi petiit cappam a Priore ordinis Praedicatorum, ubi ipse spretus ivit ad Carthusiam prope Roslock, loquens cum Priori ibidem de sua cappa; Quam autem variabat & venit ad Sundium, ubi recipiebatur in Physicum civitatis. v. *Annal. Acad. L. I. p. 61*. Sed, cum homo errabundus, instabilis & vagabundus in animo, sic spernens cappam, & spretus ab ea, ut supra, intravit religionem matrimonii, & duxit viduam braxatricem serevisse in oppido ante dicto Sundis. Ubi multas contumelias in Consistorio publico, & etiam per totum oppidum Sundis, passus est. Propter ea, quia minus discrete, tanquam homo grossus & insultus, multa sibi illicita in Universitate nostra attemptavit. Scilicet quia primum braxaturus in Groninghen, tempore braxator factus est in Sundis. Ecce qualis mutatio Galieni. v. *Ann. L. I. ad an. 1483. p. 67*.



liti semet se intromiserant Pro-Consules, in primis Nic. Smierlowius, cujus supra jam facta est mentio. Qui illis de minori Collegio adherentes, cum certis Doctoribus, varios tractatus tam in Collegio, quam in Prætorio habuerunt propter illam differentiam; Magistri majoris Collegii appellarunt ad Dn. Apostolicum, & fecerunt suam appellationem committi in Curia Romana, ad quam, vigore illius commissionis, fecerunt citari Magistros ejusdem collegii minoris & prædictum Pro-Consulem, cum duobus Consulibus, videlicet WEDEGONE & HENRICO, conditis LORTZEN. Tandem vero, propter adhesionem Pro-Consulum & Consulium illis de minori Collegio, cum certis Doctoribus, Magistri majoris Collegii cogebantur habere patientiam. Interim Mag. de Collegio minori sub suo Decano prædicto, sic pronunciatum, etiam, prout Magistri majoris collegii sub suo Decano, M. Jo. Petri, fecerunt promotionem Magistrorum & Baccalareorum v. *Ann. L. 1. p. 63*. De reliquis eius factis, ut & de anno emortuali, alium in *Annalibus* nostris est silentium. Perquam plures tamen nominis Petri, S. Petri, & quidem e Dacia orti, hoc tempore albo inscripti reperiuntur.

## XXII. JOHANNES SARTORIUS.

(Germanice Schneider)

*Emsa Lingensis.*

Albo studioforum inscriptus ao. 1481. Rectore JOHANNES PETRI. v. *Ann. Acad. L. 11. p. 49*. Seq. a. 1482. ad importunam instantiam Consulatus, magis vero unius Pro-Consulis, scilicet Nic. SMIERLOWII, noster JOH. SARTORIUS fuit creatus per Universitatem in Decanum Facult. artium, non obstante Statuto Facultatis ejusdem, pro ista vice; a qua pronunciatione & creatione Magistri majoris Collegii appellarunt ad Dominum Apostolicum. Quæ de re supra sub vita PETRI dicere occupavi. Ao. 84. & 86. Bræveta in Facultate artium extitit, eodemque ao. 1486. prima vice munus Rectorale ad ipsum de-

latum, & sequenti anno 1487. D. J O H. de H O Y A, tt. Rector, promovit honorabilem virum Mag. J O H. SARTORIUM, Facult. artium Decanum & St. Ecclesie Nicolai Gryphiswald. Canonicum, in Baccalaureum utriusque juris. v. *Ann. Acad. ad b. a. L. I. p. 71*. Cumque Dn. Rector ab H O Y A, circa finem sui Rectoratus, initio m. Sept. recesserit, hic SARTORIUS, tanquam Pro-Rector, per integrum hunc & ad finem fere sequentis mensis vices ejus sustinuit. v. *Ann. L. II. fac. 2. pr.* Interim eodem adhuc a. 1687 & seqq. 88. 89. 90. una serie, denuo promotor in hac Facultate fuit; prout etiam anno 1490. cum jam in novis juribus Ordinarius factus, denuo ad Rectoralem dignitatem fuit evelus. v. *Ann. L. II. p. 72. f. 2* & posthac a. 1492. adhuc semel in Facultate artium Promotor BURCHARDI BECKMANNI, Sundenfis, post U. J. D. fuit. Ab eo autem tempore memoria ejus desinit.

### XXIII. JOHANNES AB HOYA.

*Stadenfis.*

Ut Magister artium intitulatus a. 1485. v. *Annal. Acad. L. II. p. 53.* eodemque anno quatuor, & anno 1487. duorum Candidatorum in Facultate artium promotor extitit. v. *GERSCHOVII Catalog. Promotionum. ad b. a. n. 32. & 36.* eodemque a. 1487. Rector Academie fuit creatus, & utriusque juris Doctor, & in LL. ordinarius, & Vice Cancellarius salutar in *Ann. L. I. p. 69.* In hoc suo Rectoratu recessit, eique in Magistratu successit antecessor ejus J O H. SARTORIS, ut vice-Rector; v. *Ann. L. II. p. 62. f. 2. pr.* quorum vero se contulerit, nunquam redierit unquam, literis ibidem proditum non est.

### XXIV. MARTINUS CARITH.

*Colbergenfis.*

Jam a. 1472. die Conversionis St. Pauli, sub Rectoratu J O H. PERLEBERGTI, Matricule Academie nomen ejus infertur de

deprehenditur, ubi dicitur reverendi ac nobilis Dni, Dni LUDDOVICI, Dei gratia Ecclesie Camminensis Postulati, Comitis de EVERSTEIN, ac Domini de NEUGARD, Secretarius, v. *Ann. L. II p. 30.* Ao. 1483. post dimissionem s. resignationem JOH BRUGGE in hujus locum fuit assumptus in Lectorem ordinarium in antiquis juribus, & dicitur Decretorum Licentiatuſ, Ecclesie Colbergenſis Decanuſ. v. *Annal. L. II, p. 54.* Anno 1487. die 3. Menſ. Sept. Mag. JOH. ab HOYA t. t. Rector promovit noſtrum MARTINUM CARITH, Ecclesie Colleg. Colberg. Decanuſ & Ecclesiaruſ Camminenſiuſ, Stetinenuſ & St. Nicolai Gryphisw. Canonicuſ, una cum Magiſt. JOH. REMMELIN, Ecclesie Staſe Ceciliaſ Guſtrovienſis Decanuſ & Cathedralis Ecclesie Sverinenſis Scholaſticuſ, ac totiuſ Cleri Camminenſis Conſervatoreſ principalem, in jure Canonico in Doctoreſ. v. *Ann. Acad. L. I. p. 69.* Mox eodem anno 1487. ipſi contingebat honoſ quod Rectoratuſ per brumale ſeſtre ipſi, die St. Lucaſ Evang., quaſ fuit 18. m. Octobr. electo, conferretur. v. *Ann. L. II. p. 63.* Sed durante hoc ſuo Rectoratu, ſub initio menſis Octobriſ, abiit ab hinc, vicesque ejus ſuſtinuit ejus Praeſ antecellor JOH. SARTORIUS; circa ſinem tamen ejusdem anni reverſuſ, medio menſis Martii anni ſeq. 1488. denuo reſellit, iterumque vices Rectoris JOH. SARTORIO demandataſ ſunt. v. *Annal. L. II. fol. 63.* Colbergam dubio procul ſe contulit, ubi in Capituli Praepoſituſ erat electuſ. Ao. 1496. Duci BUGISLAW X. Magno diſto, religionis cauſa, prout ſuperſtitio iſtoruſ temporuſ ferebat, d. 13. Dec. iter longuſ moleſtuſque ſuſcipienti, ultimaſ mundi parteſ terra marique pervaganti, tandemque in terram ſantaſ ad civitateſ Hie-roſolymitanam ſacruſ que Salvatoris noſtri ſepulchruſ viam deſcendenti, perpetuſ itineris comes extitit; quemadmoduſ apparet ex relatione DAN. CRAMERI in *Chron. Eccleſ. Pomeran. Cap. 49.* nec non MICHAELII L. II. n. 116. ubi mox primo loco inter eccleſiaſtici Ordiniſ & Conſiliaſ Principiſ, itineriſ ſocioſ, apparet, vices Cancellarii interim ſuſtenuſ, In reditu



Princeps nobilissimam civitatem, toto rerrarum orbe inclytam, Venetiam, adiit; cumque Dux ac Senatus hujus Urbis laute ac magnifice Principem advenam cum suis Ministris excepissent, ac per aliquod tempus liberalissime eos tractavissent, noster MARTINUS in abitu publica oratione latina ipsis vale gratiasque dixit; Tandem ad sedem Papalem Romam fuerunt delati, ubi a Papa ALEXANDRO VI. Princeps consensum impetravit, ut Capitulum Camminense nostrum MARTINUM in Coadjutorem, vel si veteranus Episcopus BENEDICTUS, Liber Baro de Wallenstein, sponte cedere vellet, in Episcopum eligeret; quod tandem a. 1498. certa pecuniæ summa conventa, ad effectum perductum, & noster MARTINUS CARITH, qui Theologiæ Doctor audit, in Episcopum est electus; præcæ hæc omnia recenset CRAMERUS *cit. l. in fin. cap. 49.* Qualem virum pium probumque durante officio suo Episcopali se præbuerit, quantæque ejus in Ecclesiam proflent merita, pluribus extollit MICRÆLIUS *in Vita ejus*, quæ inter vitas Episcoporum *Lib. 111. Historia sua Pomer. adjectas, n. 25* occurrit. Obiit tandem Sedini a. 1522. d. 26. (s. ut GERSCHOVIUS *in Catalogo Profess.* notavit d. 2.) Novembris.

## XXV. HENRICUS MORINUS. s. MARINUS.

Primum Academiæ nomen suum professus a. 1488. ante penultima M. Octobr. sub Rector. Mag. BOLTHER, & jam tum Decretorum Doctor audit, item Sanctæ Gustroviensis & St. Nicolai Gryphiswald. Ecclesiarum Canonicus, In Robel (s. Ecclesiæ Robboliensis) Præpositus; In Jure Canon. Ordinarius. Havelbergensis Dioceseos. v. *Annal. L. II. fol. 66. f. 2. pr.* Nec adeo multo post, a. s. il. seq. 1489. in Rectorem est electus, vid. *Ann. cl. fol. 70.* ubi simul Ecclesiæ b. Mariæ Virginis Stetinensis Canonicus dicitur. Præter hæc, quæ modo notata, de eo nil literis consignatum, deprehendi.

XXVI.

❁   ○   ❁

## XXVI. GEORGIUS LOETZE

*Gryphiswaldensis.*


De celebri olim in Patria, præprimis Civitate Sedinensi, circa an. 1477. seqq. florente opibusque abundante LOITZORUM familia, quæ, postquam copia earum magis accenderit immensam illam & inexplebilem accumulandarum opum aviditatem, tam grave æs alienum corflavit, ut tandem ei solvendo plane impar fuerit; Unde potentissimis Nobilium familiis ac universitæ fere patriæ, quin exteris circum jacentibus regionibus earumque incolis, maxima creata fuerit molestia, ex instituto agit PAULUS FRIDEBORN *in Chron. Sedinensi Germ. Lib. II. p. 93.* Num etiam hic noster communem cum hac familia sanguinem trahat, pro certo asserere non audeo; Ao. 1487. d. 28. May. sub Reſtoratu Joh. de HOVA, noster honorabilis vir, Dn. & Mag. GEORGIUS LOTZE, sacrarum LL. Baccalaureus ac Eccles. St. Nic. Grypesw. Canonicus, percepit licentiam in privato, & demum die 19 Junii recepit Licentiam in Legibus in publico, a dicto Reſtore, pro tunc Pro Concellario, v. *Ann. L. I. p. 70.* Reſtoratum Academix gessit a. 1491.

## XXVII. BERNHARDUS CANITZ

*Eques Pomeranus.*

Ut Magister artium Albo Studiosorum inscriptus ao. 1494. m. Novembr. sub Reſtoratu GEORGH LOITZEN; statimque postreceptus est pro Ordinario in antiquis juribus, & nil dedit præter salarium Cursorum, ex eo, quod per literas Principis hujus terræ ad hanc Universitatem extitit vocatus, v. *Ann. Acad. L. II. fol. 76. fac. 2. pr.* Mox quoque anno seq. Reſtoratus ipsi collatus, ubi jam utriusque juris Doctor apparet, quem, justis forsitan rationibus urgentibus, per totum fere annum continuavit, v. *Ann. cl. f. 77.* eodemque anno in Pro-

b 2 motio-



motione BURCH. BECMANNI Procancellarii vices sustinuit, v. GERSCHOW. in *Catal. Fundatorum Cancell. Vice-Cancell. Rector. & Profess. Acad. n. 24.* Equidem GERSCHOW. *cl. n. 50.* eum adhuc sub ao. 1499. in numero Procancellariorum sistit, verum, conjecturis saltem admodum infirmis eum inniti, vel inde colligi licet, quia ne jota quidem hujus rei extat in annalibus nostris, potius admodum credibile est, nostrum Canitizium, jam 1493. suo sub Rectoratu, vel obiisse, vel quod probabilitati proximius accedit, hinc abiisse, quoniam scil. *Annales Academici* a die 21. Martii ejusdem anni aliena manu, scil. sequentis Rectoris HENR. LOWESSOWEN, (modo Rectores tunc temporis conscripserunt *Annales* constet,) fuere continuati. Interim hoc certum, posthæc tempora memoriam ejus desinere, quamvis nobilis ista Canitiziorum familia hodiernum fati sit celebrata.

## XXVIII. HENR. LEVITZOW. s. LEWESOW. *de Rostock. Eques Megapolit.*

Jurisperito utriusque D. e Rostochia huc adveniens, inscriptus fuit albo academico ao. 1492. die Mercurii d. 24. Mens Octobr. & mox ad lecturam Codicis per Dominos de Universitate deputatus fuit; testantibus *Annal. Acad. L. II. p. 77. fac. 2. in fin.* frequenti etiam anno 1493. fasces Rectorales ipsi delati. Error itaque est typographicus, vel aliunde enatus, quando GERSCHOWIUS *cl. n. 91.* iam ao. 1475. Rectorem eum fuisse perhibet.

## XXIX. ULRICUS MALCHOVIUS. *Wisnariensis.*


Anno 1493. die Mercurii 9. Mens. Octobr. ut Magister, nec non artium & U. J. Doctor, in album Academicum, & dubio procul in numerum quoque Professorum fuit receptus.  
V. *Ann.*

v. *Ann. Acad. L. II. p. 79.* Ao. 1494. die Jüvent. St. Crucis prima ac ultima vice in Rectorem Acad. adscitus, ubi dicitur Ecclesiae Cathedralis Sverin. Canon. atque in Facultate legali ordinarius. De reliquis eius factis, silentibus Annalibus Academicæ aliisque documentis publicis, nil certi adferre licet.

### XXX. NICOLAUS LOEWE.

*Stetimensis (f. Statio dorensis. scil. Stettin an der Oder.)*

Ut Magister fuit intitulatus a. 1493. d. 9. Octobr. sub Rector. HENR. LEVESOWEN. v. *Ann. L. II. p. 79.* Mox in antiquis iuribus Ordinarius factus & eodem adhuc anno Procancelarii dignitatem sustinuit, v. GERSCHOV. *cl. n. 43.* Rector Academicæ suffragio Collegarum pronunciatus a. 1495. Quo anno denovo vices Cancellarii gessit, vid. GERSCHOV. *cl. n. 44.* Hic tamen Rectoratus ferme vacabat propter pestilentiam (ausugio Suppositorum, i. e. Studiosorum, facto) quæ horribilem exercuit cladem, & dure rapiebantur homines inclementia mortis. Sed unus tantum studentium, nomine JOH. LUBECK occubuit in Collegio v. *Ann. Acad. L. I. fol. 82. fac. 2.* Ao. 1496. iterum Procancelarius, v. GERSCHOV. *cl. n. 47.* Anno 1497. secunda vice Rector factus, eodemque anno in sequenti Rectoratu semestris hiemalis JO. BILTZEMANNI, noster, cum utriusque iuris esset Baccalaureus, accepit licentiam in J. Canon. in die St. Petri ad vincula, sub spectabili viro Dn. Mag. HENRICO BUCOVIO, Decretor. Licentiatō & in novis iuribus ordinario. v. *Ann. L. I. fol. 86. fac. 2. a. 1498.* tertia vice Rectoratus, v. *Ann. cl. p. 85. & 88.* & binis vicibus Procancelarius officium sustinuit, v. GERSCHOV. *cl. n. 47. seq.* Hoc suo sub Rectoratu ob certa negotia expedienda Sedinum proficiscebatur, & M. Burchardo BECMANNO Ex pro-Rectori, licet Pro Rector adesset, suas committebat vices. v. *An. cl. f. 94. fac. 2.* Ann. 1499. sub Rectoratu VINCENTII RAVENATIS



fuit promotus in Doctorem Decretorum. v. *Ann. cl. f. 99. fac. 2.* quo sub Reſtoratu anno ſcil. ſequ. 1502. d. 24. Jan. JOHANNES BUGENHAGEN, de Wollyn, Pomeraniæ Eccleſiæ Reſtorator, nomen ſuum Academiæ noſtræ fuit profeſſus.

XXXI HENRICUS BUCOVIVS, Junior,  
*Gryphiswaldenſis, Nobilis Pom.*

Hic ad differentiam HENR. BUCOVII, huius patris, cujus vitam ſupra num. 3. in ordine abſolvimus, Junior dicitur, & fuit GEORGI & ANNÆ WACKENITZÆ filius. v. GERSCHOV. in *Cat. Prof. n. 29.* Inſcriptus a. 1483. d. 22. Auguſt. v. *Ann. acad. L. II. fol. 55.* Sub Reſtoratu HENR. LEWEZOWEN an. 1493, in *Ann. cl. p. 79* dicitur Juris Licentiatus & in novis iuribus ordinararius. Prima vice Reſtoratum per integrum annum geſſit a. 1496. v. *Ann. cl. p. 84.* Secunda vice a. 1500. v. *Annal. cl. p. 96.* Tertia a. 1503. v. *Annal. cl. fol. 107. fac. 2.* ubi dicitur Epilcopi Cammin. intra Svinam & Oderam Officialis. Quarta a. 1505. v. *Annal. cl. p. 107.* Quinta a. 1509. v. *Ann. cl. p. 113.* Sexta a. 1512. v. *Ann. cl. p. 118.* Ao. 1515. d. 26. Menſ. Novembr. in Eccleſia Collegiata St. Nicol. HENR. MVLERTUS inſigniis doctoralibus noſtrum, ad plures annos in novis iuribus legentem, & ſingulari admontione ſui promotoris inductum, multis præclaris ac doctiſſimis religioſis, ſpiritualibus & ſecularibus ibidem præſentibus, glorioſe inſignivit, & inſignem doctorem promulgavit; referentibus *Annal. cl. fol. 126. fac. 2.* Septima denique vice a. 1518. ad Reſtoralem dignitatem fuit evectus. v. *Ann. cl. p. 130.* quo ſuo ſub Reſtoratu condidit Teſtamentum, \* quo in-

\* De hocce Teſtamento Bukoviano ſequentia notabilia in *Annal. Acad. cl. fol. 130.* in facie adverſa propria manu ſignata reliquit JACOBUS GERSCHOVIUS: Hoc Teſtamentum extat apud heredes Senatoris JOACHIMI ENGELBRECHTS, in quo expreſſe extat: niſi teſtamenti rigor per omnia obſervetur, tam legata ad legitimos heredes redire debere, quarum heredum ſua ætate antiquiſſima fuit mea JACOBI GERSCHOVII ſocrus, BARBARA ENGELBRECHTEN, (nam qui & quæ illa ſeniores fuerunt, deceſſerant) HENRICI



insignia legata ad pios usus reliquit. Non multum post suscep-  
tum hoc pium institutum vitam eum clausisse, facile ad cre-  
dendum est.

### XXXII. BURCHARDUS BECMAN, *Sundensis.*


Nomen suum primum professus est a. 1486. d. 5. Nov. v. *Ann.*  
*L. II. p. 59.* In Magistrum artium promotus a. 1492. v. GER-  
SCHOV. *Catal. promotorum n. 42.* Ao. 1495. Brabevta fuit in Facult.  
artium. Rector Academiæ creatus a. 1497. v. *Ann. cl. p. 87.* it.  
a. 1500. v. *Ann. cl. p. 97.* quo anno etiam Pro-Cancellarius fuit,  
& denique a. 1502. iterum Rector, v. *Ann. cl. p. 103.* & a. 1504.  
in Fac. Philos. iterum Brabevta fuit. Ao. 1505. cum esset De-  
canus Facult. artium, ab HENN. LOITZEN renunciatus est  
in Doctorem utriusque Juris. v. *Ann. cl. f. 107. fac. 2.* Postea ex  
subsellis Academiæ transit ad Collegium Senatus, & Consul  
factus Gryphisw.. Quo in officio a. 1554. m. Julii morte fuit  
extinctus. Uxor eius fuit ANNA LOITZEN, HENRICI, Se-  
natoris Gryphisw. & CATHARINA STEVELIN, FRANCISCI  
NICOLAI, Senatoris, & ANNA LUPKER neptis. v. GER-  
SCHOV. *Catalog. Profess. Gryph n. 7.*

\*\*\*      \*\*\*      \*\*\*

Ne metam, in recensione Vitarum JCorum Gry-  
phicorum hæc vice mihi præfixam, transgrediar, solum abrum-  
po, & potius in recensenda vita ipsius Dni. *Candidati*, cujus  
gratia hæc præmissa sunt, ero occupatus. Quo vero B. L.  
eo plenius de ea informetur, ipsissimis verbis, pro ut a Dno.  
*Candidato*, mihi exhibitã fuit, eam suppeditabo:

*Vitam,*

BOSELMANS *vidua* Quod hic ideo inscripsi, ut celeberrimi Dni.  
*Professores* legatis legitime impendendis vigilent, nec patiantur, in ille-  
gitimis transfundi usus. Quod si fiat, collegialiter & observanter illos  
imploro, legitimis hæredibus adjuvamento sint, legata vel in justum ordi-  
nem redigendi, vel ad hæredes deferendi.



Vitam, ex voluntate divina, mihi ERNESTO GUSTAVO  
 RUDLOFF dederunt, Magdeburgi d. 22. Julii Anno hujus  
 Seculi duodecimo, Parentes, quos hodiernum colo superstites,  
 CHILIANUS RUDLOFF, Regis Porussorum Majestatis Con-  
 siliarius Rerum Bellicarum & Domazialium Ducatus Magdebur-  
 gici, atque JOSINA PHILIPPINA WITTEN. Paterna  
 linea AVUS fuit AUGUSTUS RUDLOFF, V. J. D. & Scabi-  
 natus Regii, qui Hale apud Saxones floret, Senior; Avia  
 paterna MARIA, ex preclara & antiqua LEYSERORUM gente  
 originem trahens nomenque. Linea materna AVUM habui  
 JOHANNEM WITTEN, Decanum Ecclesia Collegiate in  
 urbe Magdeburgensi primarie, Sancto Sebastiano sacratæ, &  
 Potentissimo Porussorum Regi a Consiliis Belli & Domania-  
 libus in Ducatu Magdeb. Aviam maternam JOSINAM SO-  
 PHIAM CHRISTIANI. Sed missa ceterorum Majorum enu-  
 meratione, de solo stemmate paterno brevibus saltem indicasse  
 sat erit Proavum, JOHANNEM ELIAM RUDLOFF,  
 Canonicum Eccles. Colleg. Wurtzensis, & Camerarium Hallen-  
 sem; Abavum ELIAM RUDLOFF, Electoris Saxonici Can-  
 cellarium Wurtzensem, Stiffes & Cansler dictum; Ata-  
 vumque JOHANNEM RUDLOFF, Electoris Saxonici  
 Johannis Friderici I. Magnamini, Consiliarium & Secretarium  
 intimum. Hæc generis & Majorum brevi notitia ex more  
 premissa, mea ipsius vitæ hæctenus perductæ rationem ut red-  
 dam; primæ educationis curam, id quod grata recole mente, adeo  
 sollicitè gesserunt honoratissimi parentes, ut institutionem non  
 solum publicam & privatam Antistitum Lycei Rev. Capituli  
 Cathedralis Magdeburgensis, verum præterea quoque dome-  
 sticam, & ceu ajunt, privatissimam ordinarent, qua animo

cupidissimo in cognitione tam religionis sanctissima, quam bonarum artium, continuo adessent operamque ferrent formando, erudiendo, poliendo. Ad Academica deinde properans studia, inter Cives Regiae Fridericanae recipiebar anno 1727. Primo tempore totum fere me tradebam cognato meo B. FRID. SCHNADERBACHIO, Phil. & J. V. D. atque Regii Scabinatus Hallensis Adessori, cujus etiam quotidiana fruebar consuetudine. Ejus itaque peculiari admodum & fidelissima preparatus manu-ductione, tanta majori cum utilitate accedebam insignia illa, totius Germaniae non minus, quam Fridericanae, ornamenta, Illustres inquam JCtos, Dn. de LUDEWIG, Dn. BOEHMERVM, b. GVNDLINGIVM, Celeberrimumque Dn. FLEISCHERVM atque ZSCHACKVITZIVM. Horum doctissimas atque selectissimas in omnibus eruditionis Jurisque prudentiae partibus Lectiones postquam per quatuor annos cum dimidio assidue frequentaveram, simulque studia tractans cum D. CAROLO FRIDERICO, Comite de STOLLBERG, & D. HENRICO IX. Comite de Reuss, animum ceperam docendo non nihil exercere; Wittebergensem anno 1731. adiebam Academiam, quo me invitabat non solum honor necessitudinis cum Il. Dn. AVGVSTINO de LEYSER, verum etiam desiderium, quo stimular, uberrimos colligendi fructus ex doctrina hujus JCti consummatissimi, qui tam longe lateque merito colitur, quemque omnium maxime ego summa suspicio cum observantia. Tanti viri ab ore & publice & privatim unice pependisse, ejusque insignem, qua eminet singulariter, humanitatem quam largissime esse expertum, hoc est, quod gloria mihi duco, nunquam non gratissimo animo veneranda. Ast, non licuit exoptatissima hac felicitate ultra unius anni spatium frui. Abundum



enim enim erat an. 1732. ad Cellas Luneburgicas, ut susciperem  
 studiorum curam Generosissimorum JOACHIMI WERNERI  
 & DETLEVI fratrum de BÜLOW, ex opulentissima & perillustri  
 Gudaviensi domo, cui adnexa est dignitas Marefchalli heredita-  
 rii Ducatus Lauenburgici. Qua sparta post duos & dimidium  
 annum peracta, evocabar anno 1734. a Generosissimo G. H. de  
 LEHSTEN, Wardovii, Gustrovium inter & Rostochium in Mega-  
 poli siti, Domino, unici ejus filii studii ut praessem, cui in Phi-  
 losophia, Historia, Jure Publico, Privato, Ecclesiastico & Feu-  
 dali, quantum fieri poterat, privata manu ductione erudiendo  
 ultra quadriennium debitam navavi solertiam; ipse quoque  
 elaboratam, me operam qualemcunque commodante, Disserta-  
 tionem de Jure atque limitibus inviolabilitatis Legati  
 hostilis, Praeside J. P. SCHMIDIO, J. U. D. & Antecessore Ro-  
 stochiensis Academiae Cael. Fautore atque amico meo estimatis-  
 simo, anno 1738. publice ventilavit. Qua occasione & ego vo-  
 tive adplausurus, edidi, praeter alia subsecuta opuscula, suc-  
 cinctam Disquisitionem de natalibus commentitii juris  
 usufructuarii Filiarum Nobilium in Megapoli. Ubi  
 vero tot annorum sedula exercitatione satis me sensi firmatum,  
 quod quippe scopus tantum fuerat transeunti ad istud vita ge-  
 nus, derelinquebam illud tandem, & honestissimis, quae aliunde  
 aderant, functionibus me subducens, Rostochium me conse-  
 rebam anno 1739. accersitus, ut negotiis Dni. Statuum Provin-  
 cialium Ducatum Mecklenburgicorum vacarem. Sed exeunte  
 eodem anno, honorificentissimis magnorum Mecenatum suffra-  
 giis, more antiquo solitoque, eligebar in Syndicum Provincia-  
 lem Ducatus Lauenburgici. Quod autem munus eorundem  
 in manus anno praeterlapsò observantissime resignavi, ad idem  
 bono-

*honoris genus vocatus a parte Dni. Ordinum Provincialium Mecklenburgicorum, a quibus benedole mihi demandato Consulenti Provincialis arduo officio etiamnum fungor, Deum invocans, ut vitam viresque largiatur, omniaque ex voto secundet, beet, dirigatque ipse.*

**E**x hac generis antiquitate & gloria majorum celebri gente vitam sanguinemque traxit Prænob. Dn. Candidatus, hæcque vitæ ejus laudabiliter hætenus transactæ fuerunt fata, quæ propria virtute, eruditione ac meritis reddidit celebriora. Quibus ut non leve accrescat incrementum, haud vanæ gloriæ cupiditate, vel ambitionis stimulo excitatus, sed, rerum suarum conditione ita postulante, animum jam induxit summos in utroque jure ambire honores. Modeste eos petiit ab Amplissima Facultate illustris Academiæ vicinæ Rostochiensis, quæ desiderio ejus deesse haud potuit, quin eum ad examen, quod dicitur rigorosum, admitteret. Quanta cum laude illud sustinuerit, fidem nobis facit testimonium Ampliss. illius Facultatis, publico sigillo corroboratum, proprioque manu spectabilis Decani, Dn. E. J. F. MANTZELII, J. U. D. & jam Facultatis scæ Pro Decani, nec non Academiæ Rectoris Magnifici; Et ne verba dare videamur, dum alienæ fidei nostrum innitatur testimonium, ex re esse duxi integrum illud testimonium Ampliss. Facultatis Rostochiensis, prout nobis a Dn. Candidato fuit exhibitum, hic inserere, quod sequentem in modum est conceptum;

C 2      LECTOR



LECTOR ILLUSTRIS ATQUE GRATIOSISSIME!  
 EN! DIPLOMA JURE MERITOQUE TRIBUTUM  
 PRÆNOBILISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO DOMINO,  
 DN. ERNESTO AUGUSTO RUDLOFF,  
*Generosis. Dn. Statuum Provincialium Saxo-Leoburg. Syndico,  
 Juris utriusque Candidato dignissimo.*

Quis enim dignissimum non appellaret illum, qui optimis & moribus & literis ita inclaruit, ut, quis quantusque sit, ex rerum & Illustrium Virorum, quibus vulgaria haud placent, constet testimoniis. Verum, non est scopus hujus chartæ, ut notoria, quasi essent nova, significantur, sed ut historia Examinis, a Collegio nostro instituti, recenseatur. Nuncupamus igitur omnibus, quorum interest, quod dictus & prælaudatus Dnus. RUDLOFF, Ordini nostro examinandum se stiterit, & quod in confesso, die hesternò, talem se exhibuerit, ut, ex fide publica testari queamus, debeamus, quod hic Candidatus plane nihil in se desiderari passus sit. Solent nonnunquam viri, etiam doctissimi & Practici, declinare unius alteriusve Juris, mox Publici, mox Feudalis, mox Ecclesiastici themata & quæstiones; Alii in practicis partibus, se theoreticos tantum esse, haud dissimulant: Hicce autem Dn. Candidatus in Jure Publico & Feudali, imò & Ecclesiastico, ad summam nostram admirationem usque, etiam in apicibus & criticissimorum virorum doctrinis versatissimum, felicique memoria acutoque  
 judicio


judicio præditum atque dotatum se comprobavit. Juris  
Civilis complexum satis familiarem ipsi esse deprehen-  
dimus, & speciatim, cum ad filium Praxeos forensis,  
more majorum, deveniretur, Practicum etiam inve-  
nimus, ordinem Processus & methodum tritiramque  
tam bene callentem, ac si jam in foro & Curia annos  
consumisset. Gratulamur igitur omnibus, quibus  
hic egregius vir studiis suis inserviet; Gratulamur  
etiam Facultati nostræ de recepto dignissimo Candidato,  
cui biretum Doctorale ad primum nutum decrevimus.  
Deum optimum maximum humillime invocantes, ut  
huic viro vitam viresque largiatur & augeat, quo di-  
vina gloria & Reipublicæ salus, ipso studia & mentis  
alacritatem commodante, feliciter promoveatur, am-  
plificetur. Ita scribere, conscientia jubente, conclusum  
est in Collegio, Anno MDCCXL. die 22. Aprilis. Id  
quod nostri Sigilli impressione testamur.

*Nos Decanus, Senior & Professores  
atque Doctores Facultatis Juri-  
dicae in Academia Rossobienfi  
omnes & singuli.*

(LS.)

E. J. F. MANTZEL D. P. P. Fac. Jur. Decanus.

Exantlato itaque sic cum laude examine, voto suo com-  
pos quoque factus fuisset candidatus hicce dignissimus, peti-  
tosque honores ab ipsa Facultate modo laudata impetrasset,  
quippe quos suo jure promeruit; nisi fatalis rerum eventus ipsi  
fuisset



fuiſſet impedimento, quo ſe coactum vidit exteram adire Facultatem, ibique complementum futuræ ſux doctoralis dignitatis querere. Quo vero palam conſtet, hæc omnia conſentiente Ampliſſima Facultate Rostochienſi, utpote cui primum nomen ſuum dederat Dn. Candidatus, agi, nec ea invita quicquam ab eo eſſe ſuceptum, lubet hic plena forma inferere conſeſſionem, quam, nomine A. Facultatis, ipſius Pro-Decanus ſponte ſua Dno. Candidato noſtro conſeſſit:

*Nos Decanus, Senior & reliqui Profeſſores Facultatis Juridicæ in Academia Rostochienſi.*

**N**uncupamus, quod Prænobiliſſimus atque Doctiſſimus Dominus ERNESTUS AUGUSTUS RVDLOFF, Magdeburgenſis, Utriuſque Juris Candidatus, talem ſe in examine rigoroſo præſtiterit, qualem unquam comperimus, i. e. qui longe judicabatur digniſſimus, cui ſummi in Jure conferrentur honores. Aſt, cum ex certis ſupervenientibus circumſtantiis, illi non daretur, gradum Doctoralem a Nobis aſſumere, & conſequenter a Nobis petierit, ut a nexu, quo ſe Facultati Noſtræ obſtrinxerat, (puta per promiſſionem de non ambiendo in alia Academia gradu) dimitteretur: Ipſa Nobis æquitas impoſuit, deſiderio ipſius ſatiſfacere, atque alii Collegio Juridico renunciationem dignitatis Doctoralis concedere. Dabatur ſub Sigillo Facultatis MDCCXLI. D. 13. Aprilis.


(L.S.)

E. J. F. MANTZEL, D. P. P.  
lit. Reſt. Acad. & Facult. Jurid.  
Pro Decanus.

Hac



Hæc itaque Candidato nostro concessa licentia, vicinam nostram præ reliquis elegit Academiam Grypticam, non tam ex vicinitate, quam mutuo amicitia ac fœderis pacto, sororio vinculo Rostochiensis junctam, mihi quæ, ut præsentis Facultatis nostræ Decano, contigit honos, ultimam huic negotio addere limam. Priusquam vero ultimum ei imponam colophonem, ex more in Academijs usitato necesse est, ut Dn. Candidatus Dissertationem suam inauguralem, censura A. Facultatis Rostochiensis jam jam approbatam, haud vulgari eruditione refertam, dum dulcissimam venustissimamque pertractat materiam de *Indole genuina simultanea juris Germanici incesitura, cum Longobardica collata* publico eruditorum submittat disquisitioni. Argumentum sane rarum, elegans & eruditioni Dn. Candidati nostri exacte respondens. Non ex antiquis fabulis desumptum; sed eorum, quæ apud majores in re maximi momenti usu quotidiano obtinere, ad jura nostra moderna continens applicationem. Quo ipso in sine dedit exemplum, in quanto pretio ipsi sint veneranda placita Majorum, quantaque animi sinceritate ea, quæ vel noviori jure decisa vel usu probata, amplectatur, nullaque refragatione turbare intendat. Ipsa itaque hæc dissertatio loculentissimum est documentum, nil, quod nec invidia negabit, in omni doctrinae juris civilis, vel feudalis communis, vel patrii thesauris, artibus elegantissimis, Historiarumque ac Antiquitatum monumentis ita esse sepositum, itaque reconditum, quod notitiam Dn. Candidati nostri exactam elaboretur. Nec etiam quemquam fore existimo, qui de veritate istorum ambiget. Ipse Dn. Candidatus strenuus eorum assertor atque vindex erit, cum in publico solenni conspectu se virum præstabit, novumque publicum eruditionis suæ documentum exhibebit. Cui actui solenni, in ipso die *Vitalis*, qui est 28. mensis Aprilis, peragendo, ut presentes interfint *Magnificus Academiæ Dominus Rector, Generosissimus Regii Dicasterii Director, utrius-*  
que



que incliti ac illustris Collegii Proceres, Ampliff. Ci-  
vitatís Du. Consules ac Senatores, Reverendi Mini-  
sterii Antistites, nec non Illustrissima, Generosa No-  
bilissimaque Studioforum lectissima cohors, omnesque  
Literati, Dno. Candidato meo benevolentes, suaque præsentia  
actum huncce illustriorem faciant, eius & meo nomine  
decenter & officiose oro rogoque.

P. P.

SUB SIGILLO FACULTATIS JURIDICÆ

DIE XXVIII. APRILIS

A. O. R. MDCCXLI.



99 A 6933

ULB Halle

3

002 827 557



V D 77



Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



h-1 8

PROGRAMMA,  
QVO  
DOMINUM RECTOREM ACADEMIÆ,  
REGIUDICASTERII DIRECTOREM. UTRIUS-  
QUE ET AMPLIS. SENATUS HUIUS URBIS PROCERES,  
SACROSANCTOS MINISTERII ECCLESIASTICI ANTISTITES,  
LITTERARUM HONORIBUS FAVENTES HOSPITES,  
CIVILISSIMAM, GENEROSAM, NOBILISSIMAMQUE  
STUDIOSAM JUVENTUTEM,

AD  
CEREMONIAM INAUGURALEM  
SOLLEMPNEM, CONSULTISSIMI, DOCTISSIMIQUE  
DOMINI  
AUGUSTI RUDLOFF,  
MAGDEBURGENSIS,  
CIVILII DNN. STATUUM PROVINCIA-  
LIS MECKLENBURGICI,

DE  
*simultaneæ F. Germ. investi-  
gationis Longobardica collatæ,*  
V. VIII. APRILIS ANNI MDCCXXII  
H. L. Q. C.

VENTILANDAM,  
SOLLEMPNITATE AC PRÆSENTIÆ HONORE  
ORNANDAM,  
CIVITATI, CULTU ET AFFECTU INVITAT,  
SIMULQUE  
IN RECENSENDIS  
OPUSCULIS GRYPHISWALDENSIUM  
PERGIT

FRANCISCUS BALTHASAR,  
ORDINARIUS FACULT. JURID. h. t. DECANUS,  
AC SOCIETATIS TEUTONICÆ DIRECTOR.

GRYPHISWALDÆ,  
H. HIERONYMI STRUCKII.